

Dodatek 1

Theses ex universa philosophia scotistica, quas in aede Divi Joannis Rr. Pp. Soc. Jesu, Goritiae, publice propugnandas susceperunt P. Michael Kalzhizh et F. Gandulphus Nussdorfer, ord. min. strict. observ. professi et philosophi absoluti anno 1737, mense ... die ..., preside P. F. Vigilio Dinarich, eiusdem sacri instituti, philosophiae lectore actuali.

1. Logica, scientiarum janua, est scientia simpliciter speculativa,
2. ad alias scientias in statu perfecto absolute necessaria.
3. Pro obiecto adaequato habet syllogismum ut-sic.
4. Dantur entia rationis,
5. quae neque ab Intellectu divino,
6. nec a voluntate creata effici possunt.
7. Natura comunis habet esse a parte rei in singularibus,
8. per indifferentiam negativam, non vero per inexistentiam.
9. Principium individuationis est haecceitas.
10. Stando auctoritati Aristotelis, sunt decem praedicamenta.
11. Relatio praedicamentalis est accidens extremis superadditum et ab eis realiter distinctum,
12. multiplicatur multiplicatis terminis adaequatis.
13. Scientia et opinio nec supernaturaliter possunt esse simul in eodem intellectu.
14. Propositio de futuro contingenti debet esse determinate vera vel falsa.
15. Obiectum Physicae non est substantia finita, sed corpus naturale, qua tale,
16. cuius in fieri tria sunt principia.
17. Materia prima habet propriam existentiam,
18. potest spoliari divinitus ab omni forma substantiali,
19. est eiusdem rationis specifica in corporibus sublunaribus et coelestibus,
20. eius appetitus se extendit ad omnes formas,
21. nobiliores tamen magis appetit.
22. Duae formae substantiales possunt supernaturaliter informare eandem numero materiam.
23. Unio in composito debet geminari,
24. quod realiter distinguitur a partibus simul sumptis et unitis.
25. Causa prima immediate concurrat ad effectus causarum secundarum,
26. non tamen ipsas physice praedeterminat,

27. quas elevare potest ad producendos diversos effectus supernaturales,
28. non tamen ad creandum,
29. nec ad producendum conjunctim eundem numero effectum.
30. Repugnat infinitum Chategorematicum creatum,
31. non tamen penetratio duorum corporum,
32. nec replicatio unius ad plura ubi.
33. De facto non datur vacuum, ab intrinseco tamen non repugnat.
34. Continuum non componitur ex solis indivisibilibus.
35. Impossibile est etiam per Divinam virtutem rem existentem posse reproduci,
36. non tamen corruptam vel anihilatam.
37. Mundus, quoad res permanentes, potuit existere ab aeterno.
38. Praeter animam rationalem, quae ab intrinseco est immortalis,
39. in omnibus viventibus datur forma corporeitatis.
40. Metaphysica vendicat sibi pro obiecto adaequato ens reale ut-sic,
41. quod habet unum conceptum tam formalem, quam obiectivum in mente nostra.
42. Univocum respectu Dei et creaturae,
43. non tamen ex natura rei praecitum.
44. Creaturae non habuerunt aliquod esse reale actuale ab aeterno,
45. sed tantum possibilitatem intrinsecam logicam,
46. quae non est aliqua denominatio extrinseca, desumpta a Divina Omnipotentia.
47. Distinctio non constitit in negatione identitatis sed in aliquo positivo superaddito,
48. praeter realem,
49. datur etiam distinctio formalis Scotistica,
50. et praecisione obiectivae.

(SPESSOT 1925, p. 136)